

*Instumentum cessionis et venditionis
di Nicola de Bertono e di sua moglie
Leonarda de Graciano, di Potenza,
a favore del prete Luca de Zoffo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instumentum cessionis et venditionis
di Nicola de Bertono e di sua moglie
Leonarda de Graciano, di Potenza,
a favore del prete Luca de Zoffo*

1435 settembre 30

† In nomine domini domini nostri Iesu Christi, amen.
Anno a nativitate ipsius millesimo quatricentesimo
tricesimo quinto, regnante serenissimo et inclito domino
nostro domino rege Regnato, Dei gratia Ierusalem
et Sicilie ac Andegavie, Barri et Lothoringie duce,
Provincie, Pontis marchione et Cenomanie comite,
regnorum vero eius anno primo, feliciter, die ultimo
mensis septembris, quatedecime indictionis, apud
civitatem Potencie.

Nos Antonellus de Roto de Potencia reginalis iudex
per totum regnum Sicilie iudex ad contractus, notarius
Thomasius Strambus de Potencia puplicus ubilibet
per provincias Principatus citra et ultra Serras Serras
Montorii, Capitinate et Basilicate regia auctoritate
notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et
rogati presenti scripto puplico fatemur atque testamur
quod in nostri presencia personaliter constituti Nicolaus
de Bertono de Potencia et Leonarda de Graciano
mulier de Potencia, uxor dicti Nicolai, mero iure
romano vivens, sicut ceteri homines et mulieres de
dicta civitate Potencie ab antiquo vixerunt et vivunt,
dicta Leonarda, cum consensu et auctoritate et licentia
dicti Nicolai, viri sui presentis, ibidem et in toto
presenti contractu auctoritatem et licentiam prebentis
et concedentis, non vi, dolo, metu ducti nec aliquibus
monicionibus inducti, sed eorum mera et pura voluntate
pro eorum utilitatibus exequendis, sicut eis gratum fuit,
vendiderunt, alienaverunt et cesserunt, iure proprio et
inperpetuum, dompno Luce de Zoffo, cantori maioris
ecclesie Potentine et procuratori et yconomo eiusdem
ecclesie, ut dixit, presenti et recipienti nomine eiusdem
ecclesie et predicti capituli et clericorum eiusdem

ecclesie, redditus et proventus provenientes ex terris venditis per ipsos coniuges ecclesie memorate, quos fructus et proventus ipsarum terrarum venditarum reservaverunt ipsi coniuges pro alimentis eorum vita durante, nullaque reservatione et proprietate deinceps reservando in dictis terris, sed denique renunciando nunc prout ex tunc et tunc prout ex nunc investiendo presentialiter dictum precium per stipulam de fructibus et obvencionibus et redditibus dictarum terrarum ad habendum, tenendum, possidendum, percipiendum predictos fructus et obvenciones terrarum ipsarum sitarum in tenimento civitatis Potencie in loco ubi dicitur Puzi Falesii eorum finibus limitatarum. Et pro quidem ali«natione, refutatione et cessione dictorum fructuum et venditione, predicti Nicolaus et Leonarda, eius uxor, coram nobis a dicto dompno Luce, procuratorio nomine et pro parte dicti capituli, emptore, confexi fuerunt se recepisse et manualiter recepisse et habuisse in carlenis argenti sexaginta per unciam et duobus pro tareno quolibet computatis usualis regni pecunie et ponderis generalis, uncias duas, totum silicet precium vendicionis ipsius. Promictentes dicti coniuges per se et eorum heredes et subcessores dicto dompno Luce procuratori, ut supra, pro se et nomine dicti capituli et clericorum dicte ecclesie presenti et recipienti litem, controversiam vel questionem aliquam de dicta cessione, venditione et alienatione dictorum fructuum ullo umquam tempore non inferre, nec inferenti consentire vel absentire, sed ipsam venditionem, alienationem, cessionem, refutationem et omnia et singula supradicta et infrascripta ratam et firmam ac rata et firma habere, tenere et perpetue observare et contra ea non facere vel venire per se et suos heredes in iudicio vel extra

iudicium, de iure vel de facto, aliqua occasione, modo, ingenio seu tractatu, sub pena et ad penam per quemlibet ipsorum unciarum quatuor, pro medietate ipsius pene regie curie vel alteri competenti curie ubi exinde facta fuerit reclamatio seu querela, et alia medietate ipsius pene dicto emptori pro parte dicti capituli et clericorum eiusdem ecclesie persolvenda, me predicto notario tamquam persona puplica pro parte dicte curie dicto emptore pro se et nomine dicti capituli et clericorum eiusdem capituli a venditoribus et coniugibus ipsis sollepniter stipulantibus penam ipsam. Qua commissa vel non commissa, exacta vel non exacta seu gratiose remissa, predictae venditio, ratificatio, cessio dictorum fructuum, sicut predictur, et predicta omnia et singula in suo semper robore et efficacia perseverent, cum refectione omnium dampnorum, interesse et expensarum litis et extra, que fieret propterea quoquomodo. Et renunciaverunt venditores et coniuges ipsi ex certa eorum scientia super hiis voluntarie et expresse pro cautela dicti emptoris et subcessorum suorum exceptioni doli mali, vix, metus et in factum, presentis non sic celebrati contractus, exceptioni deceptionis et fraudis reique predicto modo non geste vel aliter habite, quam superius continetur et est expressum, exceptioni dicte vero pecunie non habite et non solute ac non boni argenti, beneficio restitutionis in integrum in favorem mulierum introducto et generaliter omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium atque <legum> et specialiter iuri dicenti generalem renunciationem non valere et iuri per quod cavetur quod dicto iuri renunciari non potest, quibus sufragantibus dicta venditio, cessio, renunciatio et ratificatio possent in totum vel in partem et predictaque omnia in aliquo minui vel infringi. Pro quibus omnibus

et singulis actendendis et inviolabiliter observandis et quod predicta omnia vera sunt, dicti venditores coniuges prefato emptori coram nobis corporaliter tacta ad sancta Dei evangelia prestiterunt <iuramentum> presenti et recipienti. Unde ad futuram memoriam et dictorum venditorum preces et prefati emptoris et subcessorum suorum cautelam, factum est exinde presens puplicum instrumentum per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis ac nostrum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum.

1

Quod scripsi ego predictus Thomasius puplicus ut supra notarius, qui premissis omnibus rogatus et vocatus interfui ipsumque meo consueto signo signavi. (SN) Thomasius † Ego Antonellus de Roto de Potencia qui supra ad contractus iudex interfui. † Ego frater Roberto abbas Sancti Angeli de Bosco testis sum. † Ego dompnus Guillelmus de Maglyano archidiaconus Potentinus testis interfui. † Ego diaconus Berthonus de Tarallo testis sum. † Ego Francischus de Asthis testis interfui. † Ego Antonius de Puteolo testis sum.

2

3

4

A ripete eorum

Così A, si legga Robertus.

Su Roberto, abate del monastero di Sant'Angelo del Bosco di Avigliano, v. la nota 1 del doc. 42.

Il testamento di Francesco Pde Asthis fu rogato il 13 settembre del 1453 dal notaio Ruggero Pde Lauro di Potenza. Il testatore richiese di essere sepolto nella chiesa di San Gerardo, Pin

molumento marmoreo quod est prope cappellam novam,
que cappella nucupatur cappella nova, in qua est depicta
devota Visitatio beate Marie beate Lisabecte, per la quale
sepoltura lasciò alla chiesa un pastinello sito nel luogo detto
la Penedenta de Sancto Luca (ASDPz, fondo San Francesco,
perg. 58; cfr. FORTUNATO, *PBadie*, feudi e baroni della
valle di Vitalba, vol. III, Cartulario e Codice Potentino, p. 349)